Oratio anniversaria in theatro Collegii Regalis Medicorum, Londinensium; ex Harvæi instituto, habita die 18*0 Octobris, 1736 / [Matthew Lee].

Contributors

Lee, Matthew, 1694-1755.

Publication/Creation

Londini : Apud Gul. Innys & Ric. Manby ..., 1736.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/njsgqwb4

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

ORATIO
ANNIVERSARIA
In THEATRO Collegii Regalis Medicorum, *Londin.* &c.

15

ORATIO ANNIVERSARIA

IN

THEATRO Collegii Regalis

MEDICORUM,

LONDINENSIUM;

EX HARVÆI Instituto,

Habita Die 18° OCTOBRIS, 1736.

LONDINI:

Apud GUL. INNYS & RIC. MANBY, illustrissimæ Regiæ Societatis Typographos.

MDCCXXXVI.

ORATIO

ANNIVERSARIA

IN

THEATRO Collegii Regalis

MEDICORUM,

LONDINENSIUM;

Ex HARVÆI Instituto,

Habita Die 18° Octobris, 1736.

LONDINI:

Apud Gul. Innys & Ric. Manby, illustrissimæ Regiæ Societatis Typographos.

MDCCXXXVI.

DOCTISSIMO VIRO

THOMÆ PELLET M.D.

PRÆSIDI Dignissimo,

SOCIISQUE ORNATISSIMIS

Collegii Regalis Medicorum;

HANC

ORATIONEM

Illorum Hortatu editam,

Eâ quâ par est Observantiâ,

D. D.

MATTHÆUS LEE.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30779492

ORATIO

ANNIVERSARIA, &c.

QUAMVIS per complures jam annos, Oratorum noſtrorum ingenia exercuerit, ſolennis Anteceſſorum commemoratio; tanta tamen in iis virtus enituit, ut uberem, etiam futuris Oratoribus, dicendi campum ſuffectura ſit. Quod enim in eximiis, ſive Naturæ, ſive Artis, operibus contingit; ut quo ſæpius propriuſque ſpectentur, majorem ſui admirationem excitent; id præclaris

claris etiam Viris proprium eſt, ut quo diligentius eorum res geſtæ, moreſque inſpiciantur; fœcundiorem uſque laudis præbeant ſegetem. Noſtræ idcirco familiæ imagines atque ornamenta, quotannis ante oculos collocari voluit *Harvæus*; non ad intuendum, non ad prædicandum ſolum, ſed ut domeſticâ virtute impulſi & laceſſiti, imitandi deſiderio ardeamus.

Ad imitandum vero quod præ *Linacro* veſtro ſumamus exemplar? Qui Medicinam, cæteraque ſtudia politiora, noſtris hominibus incognita, vel non recepta, primus excitavit; tenebris circumfuſa, literarum lumine ſolus illuſtravit. Quicquid temporibus illis ſciri diſcive potuit, id undique, domi, foris, ab alienis, a ſuis inveſtigavit & ſcivit; quicquid ad aliorum mentes informandas neceſſarium, id ipſe conſcripſit; omnium reconditarum artium ſitiens, literaturæ etiam elegantioris, admi-

rator

rator maximus, & utriuſque author præſtantiſſimus. Utcunque vero optimarum artium ſtudiis deditus, non literis ſe totum abdidit, neque nudam doctrinam reportavit atque inermem; ſed eo rerum uſu, eâ hominum experientiâ conjunctam, ut ab *Henrico* ſeptimo dignus judicaretur, non modo qui ſuæ ſaluti, & regiæ proli Medicus invigilaret; ſed qui *Arthuri* Principis juventutem regeret, mores formaret, & tanquam alter *Ariſtoteles* alteri *Alexandro*, bene ſentiendi, & recte agendi præcepta ſimul inculcaret. Novit Rex perſpicax, quanti ſibi eſſet & populo ſuo, Principis animum ad amorem virtutis, & ad omnem humanitatis laudem, tenerum fingere atque erudire: novit virtutes, quas in adverſâ fractâque fortunâ ipſe acquiſierat, quam tarde plerumque & invitè, in rebus proſperis, & ætate lubricâ excoluntur. Novit etiam in

arduo hoc munere obeundo, quam multa ſemper occurrunt, quæ vigilantiſſimi hominis induſtriam, quæ ſapientiſſimi prudentiam exercent. Ea autem erat ingenii & prudentiæ vis, ut *Linacro*, non in hâc ſolum provinciâ, ſed in omni genere officii exercitato, quo latius patuit laboris curſus, eo latior ad laudem campus aperiretur.

TANTÆ hujus amplitudinis, tantæ dignitatis fructus, nullos unquam jucundiores percepit, quam rem medicam, quantum fieri potuit promovendo, quam beneficia in ſuos conferendo, ultimis nepotibus profutura. Medicinæ igitur peregrinanti adhuc & incertæ, (authoritate & gratiâ *Wolſæi*, munificentiſſimi literaram & literatorum Patroni) hanc ſedem ſtabilem, & domicilium certum, quaſi Templum humani generis Saluti conſecrari curavit: disjunctos ejus profeſſores congregari, inter ſe legibus

ſociari

ſociari voluit; & civibus ſuis Senatum Medicorum præponi ſempiternum. Artem enim ſuam ex omni parte conſummatam, & perpetuam fore judicavit, cum legum authoritate munita, cum junctis multorum laboribus exculta ſit, & mutuâ ſociorum benevolentiâ confirmata. Neque ea ſpes fefellit hominem divinâ mente & conſilio præditum; quamvis enim heſterni ſimus, tamen nulla exſtitit Societas, aut præclaris exemplis ditior, aut in communem fructum uberior. Quot Viri, quantâ ſcientiâ, quantâque in diverſis ſtudiis varietate, quam brevi tempore, ex hoc gymnaſio, tanquam ex omnium ſcientiarum officinâ, profecti ſunt?

In ingenti hâc illuſtrium Virorum copiâ, extabit perpetuo *Caij* gloria, & præcipue eminebit; qui ſimilitudine *Linacriani* ingenii, in eadem incurrens veſtigia, quicquid acuminis a naturâ, quicquid eru-

ditionis ſuppeditari potuit ab induſtriâ, id omne apud exteros acquiſivit, & ſcribendo cum ſuis communicavit. Nemo temporibus iis in ſermone hominum clarior, in conſpectu Aulæ illuſtrior, nemo in praxi feliciſſimâ occupatior. Sed omnia hæc brevia & caduca exiſtimans, ea excogitavit quæ perpetuæ nominis celebritati, & artis ſuæ emolumento unà inſervirent. Studuit igitur hanc ſocietatem tenellam fovere, vobis infantulis diu præeſſe, paterno more invigilare, parta privilegia acriter tueri, nova comparare; cæteráque quæ vel ſaluti vel ornamento eſſe poſſint, impetrare. Præclaro itaque huic Viro, maxima cum *Linacro* interceſſit, non modo artis & ſtudiorum, ſed vitæ morumque cognatio. Summa in utroque dignitas, decurſus honorum ſimilis, eadem doctrinæ exiſtimatio, in vos par benevolentia. Hic ſplendorem veſtrum conſtituit, Ille auxit; præſidia ſtabilitatis a *Linacro* poſita ſunt, a

Caio

Caio dignitatis ornamenta; ut alter ex alterius laude partem quandam decerperet, uterque tamen ſuam integram ſervaret.

Cum Medicinæ talium virorum curâ & nutrimentis educatæ, non parum aderat & roboris & coloris, nitorem ei & palæſtram attulit, Vir optimus, *Lumleii* veſtri familiaris, *Cadwaldus*. Diſciplinam enim Anatomicam & prudenter inſtituit, & ampliſſimo ſtipendio ditavit; ut detectâ corporis fabricâ, & frequentius patefactâ, qui ſint ſitus partium, quam vim quæque pars habeat; quid ſecundam, quid adverſam faciat valetudinem, non opinione, ſed intuitu, non conjecturâ, ſed experientiâ cognoſci poſſit. Cæteræ quidem artes Medicinæ comites ſunt & pediſſequæ; Anatomia vero præire ſemper debet, nutrix ejus & parens: illæ ſplendorem aliquem & dignitatem fortaſſe afferunt; hæc vires ei, & vitam ipſam ſubminiſtrat. Contemnenda igitur

igitur & deridenda eſt eorum arrogantia, qui gravem hanc perſonam, ut laborantibus ſuccurrant, ægris medeantur, ignotâ corporis animati naturâ, ſine literis, ſine uſu, temerè nefariéque in ſe ſuſcipiunt. Sed quid varias Anatomiæ utilitates fuſius explicemus? Cur, hoc præſertim in loco, quanta huic inſtituto, hæc ſcientia debeat augmenta, enumeremus? Ut cætera enim taceam, huic inſtituto ſanguinis circulationem inventam debet *Harvæus*. Hoc ſatis *Cadwaldo* Fundatori laudis erit & gloriæ, ex hoc Inſtituto & Munificentiâ ſuâ ortam eſſe, omnem ferè Medicinæ rationem & certitudinem. Diſſimulari enim non poteſt, artem veſtram plurimis erroribus obſcuratam, & litibus penè infinitis perturbatam fuiſſe, donec ſanguinis curſum, recurſumque perpetuum, invenit *Harvæus*, & certiorem medendi viam ab hoc aditu demonſtravit.

Hoc

Hoc naturæ artificium per tot ſæcula ignotum, Socii veſtri labore & induſtriâ tandem patefactum, aliis erat ſuſpectum; &, quod plerumque ſolet accidere, aliis erat inviſum. Doctorum itaque diſſenſionibus, indoctorum captiunculis, calumniis invidorum diu exagitatum, ita demum ab ipſo retractatum ſtabilitumque eſt, ut in omni naturalis philoſophiæ ambitu, nec verius quicquam, nec ad aſpectum pulchrius, nec ad uſum melius inveniri poſſit. *Harvæus* enim non Hypotheſi, non ingenio utcunque acri, non judicio ſolum ſubacto quamvis & limato, ſed incorruptis illis teſtibus, experimentis confiſus; aliud ex alio inveſtigans, ex rebus per ſe illuſtratis, ad occultiſſimarum rerum cognitionem gradatim pervenit. Hypotheſes autem & opinionum commenta, cum in aliis ſcientiis raro proſunt, Anatomiam & Medicinam colentibus non raro obſunt. Utcunque

que enim ſubtiliter fuerint contextæ, & callidiſſimo artificio formatæ, ab aliis ponuntur, & ab aliis tolluntur; & horum invicem malè congruentes a novis brevi evertuntur; ut videantur hujuſmodi Scriptores, non ad ſcientias aſcenſum faciliorem parare, ſed impedimenta, & ruinas ſtruere laborioſas. Quot obſcura illuſtravit, quot lites ineptiſſimas ſedavit, in omnem Medicinæ partem quam latè pateat hæc Circulatio, & ab aliis ſæpe expoſitum eſt, & vobis minime ignotum.

Cum de veritate *Harveianæ* diſciplinæ præciſa omnis dubitatio eſt, (quomodo enim id refelli potuit, cujus artifex Natura, cujus indices erant experimenta?) inſtabant invidi hanc eum aliunde didiciſſe; hanc doctrinam antiquis eſſe notam; & in veterum ſcriptis ſparſa quædam ſemina, quæ collegit tantum Noſter, & paulo reddidit uberiora. Antiquorum quidem

ingenia

ingenia abunde laudari non poſſunt, labor eorumque induſtria, hodiernis & auxilium, & opprobrium: verum autem ſanguinis motum ita non intellexerunt, ita parum ad metam hujuſce curſûs pervenêre; ut in primo ipſius limine, vel peritiſſimi conſiſterent. Formam hujus artificii primus inſtituit *Harvæus*, totam ſolus delineavit; atque ita delineavit, ut nec adjicere quicquam recentiores potuerint, nec antiqui quicquam detrahere. Non enim tam levi ambitione erat abreptus, ut falſam hæreditatem alienæ gloriæ iniret; nec eâ puſillanimitate ut veram recuſaret, aut ſuam non naviter defenderet.

Tibi, & tibi uni, rationalis Medicinæ Pater, iter hoc ſanguinis novum debemus; nec hoc ſolum, ſed eminentiſſima noſtræ profeſſionis ingenia, & præclara inventa omnia, quæ novit ætas præterita, vel enodabit futura. Tibi receptacum Chyli *Pequettius*,

quettius, Tibi Vaſa lymphatica *Bartholinus*. Te magiſtrum intuens, Hepatis uſum expoſuit *Gliſſonus*, Te ducem ſuum ſequens, Glandularum naturam explicuit *Whartonus*, Cerebri *Williſius*; & in tua incurrens veſtigia, Cordis fabricam penitus patefecit *Lowerus*. Tot & tales viri, alius aliam partem apprehendens, in quâ ſeperatim elaboraret, perbrevi temporis intervallo, ab *Harvæo* orti ſunt & procreati; omnes Circulationis ejus comites & miniſtri; quos Ille, cæteraque omnia tum Anatomiæ, tum Medicinæ lumina, in medio noſtri orbis conſtitutus, vi ac impulſu ſuo dirigebat.

HARVÆI gloria, quem loquentur exteræ gentes, poſteritas alet, & ætas remotiſſima ſemper intuebitur, longiorem orationem non poſtulat. Maxima autem beneficia, incredibiliſque ejus liberalitas, quæ Vos proprius ſpectant, hodierno præſertim die, taceri non poſſunt. Erat enim in di-

vini illius Viri benevolentiâ, ſicut in ejuſdem ſtudiis & laboribus, novum quoddam, ſibi proprium, & genere ipſo ſingulare. Non quod Cænaculum vobis & Muſæum conderet, aut Bibliothecam regio plane animo & more inſtrueret; ſed quod vivus, præſens, ſponte patrimonio ſuo ſe nudaret; quod *Harvæi* in ſocios ſuos munificentiam, non temporum acerbitas, non rei familiaris mediocritas, non valetudo ingraveſcens, non ſenectus ipſa retardaret.

Cum hæc nova Medicinæ practicæ fundamenta, ab *Harvæo* poſita ſunt, eam non paululum erexit, ab illius ætate proximus, qui penè in conſpectu veſtro fuit *Sydenhamus*. Diverſas enim morborum Hiſtorias, varios progreſſus, & exitus diſſimiles, iis coloribus depinxit, tam ſcienter, tam proprie de unoquoque ſcripſit, & curandi viam ita commonſtravit, ut non tam legere, quam omnia intueri, languenti-

bus aſſidere; neque intereſſe ſolum, ſed omnia ipſi agere & præcipere videamur. Obſervationes autem & decreta *Sydenhami*, non ex futili commentitiâque Philoſophiâ, ſed diuturno uſu perceptæ & cognitæ; non ex diſſerendi ſubtilitate, ſed fonte naturæ depromptæ; ipſa temporis diuturnitate fient firmiores, & una cum morbis, hominumque ætate inveteraſcent. Nullius igitur ſcripta, aut avidius ſunt excepta, aut latius unquam diſſeminata. Eſt enim, in obſervando acutus, in explicando perſpicuus, in communicando fidus.

Hujus viri gloriam, utcunque amplam, brevi adæquavit, ingenium vero longè ſuperavit; & aliis Medicis vix ullam laudem reliquit, aut praxin, *Johannes Radclivius*. Erat ei animus acer, præſens, & acutus; qui curſus morborum, quique exitus futurus, quam quiſque curationem facillimè poſſit recipere, ſingulari quodam acumine

proſpi-

prospiciens; ad periculi magnitudinem, & laborantis imbecillitatem, salutaria sua præsidia instruxit. Solebat itaque, aliquando quasi præceps ire, & periculum occupare; interdum consistere maluit, & tectus undique quiescere; alios morbos veniendo, videndo vincere, alios cunctando amovere; omnibus, nisi in re planè desperandâ, mederi. Illum igitur omnes intuebantur, ad illum undique concursus, & in illo solo omnium spes ita posita est, ut absentia ejus, vel adventus ipse, ægrotis omen fati videtur. Ea denique sive artis peritia, sive medendi erat felicitas, ut non modo sui temporis laudem, & populi testimonia colligeret; sed prudentiorum judicio ita clarus & insignis, ut nemo jam spe atque animo majora suscipiat, quin *Radclivii* statim memoriam atque imaginem sibi proponendam putet; assequendam frustra speret. At inter præstantissimas ejus laudes hanc esse non minimam

judico,

judico, quod non ſolum quod opus eſſet faceret, ſed etiam quod non opus eſſet, non faceret; reliquis ſemper in medendo præſtantior, quod in remediis ſimplicior.

Utcunque vero ingenii vi, & naturâ ipſâ ad medendum inſtructiſſimus ſit, tamen non defuit ei ratio quædam conformatioque doctrinæ; ſed majore ſtudio, & Medicinæ & aliis artibus deditus fuit, quam qui illum ignorabant, arbitrabantur. Videtur enim, Vir peritiſſimus, non tam literas neſciviſſe, quam earum oſtentationem cum *Antonio* Oratore contemſiſſe; & poſthabitis cæteris ſtudiis, id potius egiſſe, ut in ſuâ ſcientiâ longè primus evaderet, quam in alienis ſecundus. Hùc ſe paravit, ad hoc ſe exercuit, in hoc elaboravit, & præſtitit; ut alii elaborare itidem & præſtare poſſint, grandis pecuniæ ſummam reliquit, in uberius Medicinæ ſubſidium, & rei literariæ perpetuitatem. Vobis vero aliud

quod-

quoddam, idque præſtantiſſimum legavit; nominis ſui memoriam, artis veſtræ ſplendorem longè amplificatum, & maxima jam præmia, vel ad opes propoſita, vel ad dignitatem. Poſteris itaque non parum erit erubeſcendum, ſi partum hoc, relictumque ab illo dignitatis Patrimonium, vel a circumforaneis unquam imminui, vel ab ægrotis ipſis, vel ab adſtantibus, gratiæ aucupandæ cauſa, ſinant ſibi extorqueri.

EXTORQUERI certe non ſivit, qui viventi & florenti adhuc *Radclivio* ſuccrevit, iiſdem naturæ muneribus ornatus, flagrantiori ſtudio, & doctrinâ uberiore inſtructus, maximo uſu exercitatus, *Johannes Freindus:* de quo Viro, neque dici unquam ſatis pro dignitate poteſt, neque intra hos parietes taceri unquam ſine injuriâ. Nam Medicinæ artem quis ſcribendo melius illuſtravit; quis exemplo magis honeſtavit?

neſtavit? Quamcunque vero exiſtimationem, ſive vitæ ſplendorem conſecutus eſt, ad eam omnem, non hominum potentium ſtudio, non excellentibus gratiis paucorum, ſed artis ſuæ peritiâ, ſed honeſtiſſimorum ſtudiorum concurſu, viam ſibi munivit; quæ eruditis viris, digne de ſe ipſis, digne de arte ſuâ ſentientibus, diu intercludi non poteſt. Probè intellexit, nullas artes aut ſcientias ad debitam altitudinem pervenire, ni ſtudio diligenter excultæ, niſi ex rerum plurimarum cognitione efflureſcant, & literis, maximâ ex parte, ſuſtineantur. Ad omne igitur omnigenæ doctrinæ ſtudium ſe contulit, & in ſingulas ſcientiæ oras delatus, ſcriptorem quemque præſtantiſſimum, ad cognoſcendum, imitandumque delegit. Hoc verum iter gloriæ, ab ineunte ætate feliciter ingreſſus, & ad laudem atque decus ſuſceptus, inſtitutus; nihil unquam in vitâ illiberale, nihil in praxi ſordidum, nihil ſubdolum, aut facere potuit, aut pati.

In

In Medicinâ vero cum excolendâ, tum faciendâ quantum cæteris antecellit, & ex optimorum artificum judicio, & ex ſcriptis ſuis cognoſci poſſit. Veram quippe medendi viam alios edocet, dum ſuam tradit; & præceptis & exemplo præſtantiſſimus. Solebat enim Ille, morborum ſedes eruere, certas eorum ac proprias notas accuratè internoſcere, non ramos amputare, ſed radices fibraſque evellere; Naturam ſequi plerumque, nonnunquam ducere; ad parendum ſive imperandum accommodatus, ut melius aut laborantem eam expedire, aut jacentem erigere, aut propè intermortuam poſſit renovare. Quinetiam in maximis temporum anguſtiis non ſe abdidit, non artem ſuam deſeruit, ſed legendo, ſcribendo Medicinæ, quaſi extremo ſpiritu, conſuluit. In his enim rerum aſperitatibus, elegantem illam de Variolis Epiſtolam ſcripſit, & Rei Medicæ Hiſtoriam inchoavit, quæ ſola recentiorum ferè omnium volu-

mina, & doctrinæ copiâ, & utilitatis ubertate exuperat. Quicquid enim apud *Græcos* perturbatum erat ac discrepans, quicquid apud *Arabas* obscurum aut latius diffusum, quicquid apud reliquos, per duodecim sæcula, novum ac insolitum, vel in morbis, vel in remediis; id totum recepit hic vetustatis thesaurus, & fidelissimus temporum testis; id *Freindus*, expositis temporum ordinibus, & notatis Authoribus, uno opere, uno in conspectu collocavit. In difficili hoc ac recondito argumento versatus, non nudam factorum seriem tradidit, neque de abditis his rebus, tenui exanguique sermone disseruit; sed jucundâ observationum minimè vulgarium varietate omnia locupletavit; elegantique orationis ornatu, quasi fructibus insitivis lignum sterile, decoravit: ut studiorum patientiam, ac ingenii divitias atque ornamenta, satis admirari nequeas.

Cum veſtrum laborem *Freindi* levavit labor, veſtrum etiam ſplendorem plurimum adauxit *Freindi* amplitudo, Vos decet Socii, omnem benevolentiæ remunerationem perſolvere; memoriam Nominis & dignitatis ejus, jucundam diuturnamque reddere, & qua licet, immortalem. Veſtrum enim hoc Lycæum, ſicut domum ſuam Paterfamilias præcipue ſemper coluit, omnia ſua ſtudia, omnia officia, vobis debere ſemper profeſſus eſt, vobis præſtare ſemper conatus. Nihil Ille clauſum, nihil obſignatum tenuit, cum Vobis omnibus communicare quod habebat, promptus veſtrorum commodis ſervire, ſtudia ac induſtriam, amplitudine ſuâ non modo non reſtinguere, ſed dirigendo, hortando, præeundo, accendere. Vos Socii Conſcripti, tanquam affines & cognatos, animo & amore pluſquam fraterno proſecutus eſt, & Plebeïos omnes Empiricos, libero ingenuoque faſtidio reſpuebat.

HÆC generis veſtri monumenta ſunt, hæc majorum trophæa, hi victores: plures non commemoravi, ne, ſi minus de iis dixero, iniqua videatur; ne, ſi ſatis de omnibus, infinita ſit oratio. Quod ſi vobis jucunda ſemper & honorifica ſit præteritorum recordatio, æquè jucunda, nec minus glorioſa eſt futurorum expectatio. Quid enim de Vobis felix fauſtumque ominari non licet, cum Vir Ille, tanquam in Speculâ poſitus, commodis veſtris invigilat; ad *Præſidis* officium ſuſcipiendum, omnium votis evocatus; ad ſuſtinendum, varia & perpolitâ eruditione inſtructus, ad ornandum, ſingulari quadam dignitate ſpectatiſſimus? *Linacri* itaque & *Caii* virtutes grati adhuc celebremus, ingrati vero, adhuc ne deſideremus; neque *Harvæi* requiramus induſtriam, dum præſentes Socios in re Anatomicâ feliciter aſſiduéque verſatos; dum plurimos in omni Medicinæ parte præcellentes intuemur; Anteceſſorum glo-

riæ ita æmulos, ita participes, ut tales ſibi Patronos ſemper ſpondeat hæc Palæſtra, tales ſalutis ſuæ Cuſtodes habeat Reſpublica, qualem diu jam experta fuerit *Harvæum*, qualem grata ſemper commemorabit *Freindum*.

FINIS.

ERRAT.

P. 1. l. 10. lege *propiúſque*.
P. 15. l. 13. lege *videretur*.

BOOKS printed for W. INNYS *and* R. MANBY, *at the West-end of St.* Paul's.

1. *Johannis Freind*, M. D. Sereniſſimæ Reginæ Carolinæ Archiatri, opera omnia medica, *fol.*

2. *Myotomia Reformata:* Or, An Anatomical Treatiſe on the Muſcles of the human Body. Illuſtrated with Figures after the Life. By the late Mr. *William Cowper*, Surgeon, and Fellow of the Royal Society. To which is prefix'd an Introduction concerning Muſcular Motion, *&c.*

3. *Anthropologia Nova:* Or, A New Syſtem of Anatomy. Deſcribing the animal Œconomy, and a ſhort Rationale of many Diſtempers incident to human Bodies. Illuſtrated with above fourſcore Figures, drawn after the Life. By *James Drake*, M. D. late Fellow of the College of Phyſicians, and F. R. S. The third Edition with Additions. With a Preface by *W. Wagſtaffe*, M. D. and Reader of Anatomy at Surgeon's-Hall. In 3 Vol. *8vo.*

4. *Synopſis Medicinæ:* Or, A Summary View of the whole Practice of Phyſick. Being the Sentiments of the moſt celebrated Authors in all Ages, relating to Diſeaſes, their Cauſes and Cures. With moſt Caſes in Surgery and Midwifery. To which are added, ſome Obſervations very rare and uncommon; and a curious Treatiſe of all Sorts of Poiſons. In 2 Vol. By *John Allen*, M. D. and F. R. S. *8vo.*

5. *Ars Præſcribendi:* ſive, Pharmacopœia Extemporanea Reformata. In qua Præſcriptorum Elegantium & Efficacium, facilè Parabilium, & ad omnes ferè medendi Intentiones accommodatorum, Paradigmata Tyronibus imitanda proponuntur. Unà cum Scholiis, Catalogo, & Indice annexis. Editio Sexta. Per *Thomæ Fuller*, M. D. *Cantab.* 12*mo.*

6. The

6. The ſame tranſlated into *Engliſh* by himſelf. Fourth Edition. 8*vo.*

7. Pharmacopœia Bateana, in Libros duos digeſta: Primo Compoſitiones Galenicæ, altero Proceſſus Chymici, ordina alphabetico exerantur: Viribus, Doſibuſque illuſtrantur: Atque Catalogis & Indicibus accommodantur. Curâ & Operâ *Th. Fuller*, M. D. *Cantab.* 12*o.*

8. ——————— Or, *Bates*'s Diſpenſatory. Tranſlated from the laſt Edition of the *Latin* Copy, publiſh'd by Mr. *James Shipton.* Containing his choice and ſelect Receipts, their Names, Compoſitions, Preparations, Virtues, Uſes, and Doſes, as they are applicable to the whole Practice of Phyſick and Surgery. The ARCANA GODDARDIANA, and their Receipts interſpers'd in their proper Places, which are almoſt all wanting in the *Latin* Copy. Compleated with above ſix hundred chymical Proceſſes; and their Explications at large, various Obſervations thereon, and a Rationale upon each Proceſs. To which are added, the fam'd Dr. *Goddard*'s Drops, *Ruſſel*'s Powder, *Rabell*'s Styptick Powder, Tinctura de Sulphure Metallorum, and the Emplaſtrum Febrifugum. The Fifth Edition. By *W. Salmon.* 8*vo.*

9. Pharmacopœia Domeſtica, in uſum eorum, qui Ruri Medicinam facientes neceſſe habent, ut Pharmacothecas privatas ſibimet conſtruant; Scholiis, Viriumque enarrationibus illuſtrata, & in Libros duos diſtributa. Per *Thoma Fuller*, M. D. *Cantab.* 12*mo.*

10. Pharmacopœia Collegii Regalis *Londini* Remedia omnia ſuccinctè deſcripta: Una cum Catalogo Simplicium ordine alphabetico digeſtorum: Quibus annexum eſt Manuale ad Forum: nec non Pinax Poſographicus. Editio Quarta Prioribus Emendatior & Auctior. Huic inſuper adjiciuntur Pharmaca nonnulla in uſu hodierno apud Medicos *Londinenſes.* Acceſſit item in calce Proſodia Medica obſervatu non indigna. Curâ *Ja. Shipton* Pharmacopœi *Lond.*

11. Statical Eſſays: Containing Vegetable Staticks; Or, An Account of ſome Statical Experiments on the

Sap

Sap in Vegetables. Being an Eſſay towards a natural Hiſtory of Vegetation: Of uſe to thoſe who are curious in the Culture and Improvement of Gardening, *&c.* Alſo, a Specimen of an Attempt to analyſe the Air, by a great Variety of Chymico-ſtatical Experiments, which were read at ſeveral Meetings before the Royal Society. Vol. 1ſt.

Statical Eſſays: Containing Hœmaſtaticks; Or, An Account of ſome Hydraulick and Hydroſtatical Experiments made on the Blood and Blood Veſſels of Animals. Alſo an Account of ſome Experiments on Stones in the Kidneys and Bladder; with an Enquiry into the Nature of thoſe anomalous Concretions. To which is added an Appendix, containing Obſervations and Experiments relating to ſeveral Subjects in the firſt Volume. The greateſt Part of which were read at ſeveral Meetings before the Royal Society. With an Index to both Volumes. By *Stephen Hales*, B. D. F. R. S.

12. ΨΥΧΡΟΛΟΥΣΙΑ: Or, The Hiſtory of cold Bathing, both ancient and modern. In two Parts. The firſt written by Sir *John Floyer*, of *Litchfield*, Knt. The ſecond treating of the genuine Uſe of hot and cold Baths. Together with the wonderful Effects of the Bath Water, drank hot from the Pump, in decay'd Stomachs, and in moſt Diſeaſes of the Bowels, Liver, Spleen, *&c.* Alſo proving that the beſt Cures done by the cold Baths are lately obſerved to ariſe from the temperate Uſe of the hot Baths firſt. To which is added, an Appendix. By Dr. *Edward Baynard*, Fellow of the College of Phyſicians. *London.* The ſixth Edition. *8vo.*

Sub PRÆLO,

PHarmacologia, ſeu Manuductio ad materiam Medicam, in qua Medicamenta Officinalia ſimplicia, hoc eſt, Mineralia, Vegetabilia, Animalia eorumque partes in medicina officinis uſitatia, in methodum naturalem digeſta ſuccincte & accurate deſcribuntur, opus Medicis Philoſophiſis, Pharmacopœis, Chirurgis, &c. utiliſſimum iterata editio, emendata & aucta à *S. Dale.* 4to.